Nowakowski Alb. Laudatio funebris Seren. et Invictiss. Vladislai IV.

LAVDATIO FVNEBRIS

SERENISSIMI & INVICTISSIMI,

VLADISLAI IV POLONIARVM

ET

SVECIÆ REGIS.

Magni Ducis Lituaniæ, Russiæ,

Prussiæ, Masouiæ, &c. &c.

A

M. ALBERTO NOWAKOWSKI, Philosophiæ Doctore, ac in Alma Acad. Crac. Col. Vlad. Nouoduorsciano Gram. Professore.

Decimo octauo Kal. Februarij. A. D. 1649, pio in Serenissimum defunctum affectu.

EXHIBITA.

CRACOVIÆ,

in Officina STANISLAI BERTVTOWIC,

Anno Domini, 1649.

IN STEMMA PERVETVSTÆ DOMVS SVLOVIANÆ.



Quid ſibi vult Stapes, erit hîc qui forte requirat?
Scilicet egregij militis, indicium eſt,
Hoc ſuffultus eques rabidum ruit acer in hoſtem
Nec patitur Patriam dexter, ab hoſte premi
Stemmate clara ſuo multos durabit in annos
Hoc ſuffulta diu, SVLOVIANA *Domus.*

Illustri ac Magnifico Domino,

D. ADAMO
DE SKOLYSZYN,
SVŁOWSKI,
PALATINIDÆ RAVENSI.
Domino & Benefactori.

Væ nuper in obitum Serenißimi VLADISLAI IV. Poloniarum & Sueciæ Regis Potentißimi, priuatim à me conscripta sunt, in publicum efferenda, Tibiq; Illustris ac Magnifice Domine consecranda esse censui; vt scilicet per hoc & in Serenißimum Regem nostrum, piè defunctum mea prodat se pietas, & in Te Illustris, ac Magnifice Domine, singularis animi mei propensio, quòd tibi hæc offerre voluerim, maximè declaretur. Tanta enim Regis istius in nos omnes extitit semper humanitas, tantaque beneficentia, vt in eius ex hac vita decessu, pium affectum in tradendis omni posteritati eius præclarè gestis etiam demortuo non testari, easque silentio inuoluere nefas quoddam esse videatur. Tua verò Illustris ac Magnifice Domine summa in me beneuolentia, amorque singularis est eiusmodi, vt pro tuis amplißimis in me beneficijs collatis, maximoque fauore, quo me semper prosequeris, me Tibi debere multum, fateri est necesse. Quare vt Tuo bono in me affectui, cùm ex æquo non liceat, saltem aliquatenùs respondeam, testificandi animi mei gratiâ, ad Te Illustris ac Magnifice Domine, hasce laboris mei exigui funebres primitias defero. Non quòd nouum aliquem in Tuo corde dolorem ob mortem Vladislai excitare in animo habeam: præsertim tum, cùm iam

ex ſpeciali quadam Diuina prouidentia, nacti ſumus Regem, Ioannem Caſimirum Quartum feliciter modernum, Liberatorem, ac Reſtauratorem, iam iam labentis Patriæ, noſtrumq́ omnium Conſeruatorem, quem ad extinguendum, tanti, non ita pridem in Rußia, exorti belli incendium, & ad ſopiendos omnes in Patria tumultus, non in terra natum, ſed quaſi de cælo delapſum intuemur. Ex quo omnes iure lætari debemus, quòd eum Regem Diuino munere nobis conceſſum habeamus, per quem vita, ſalus, & integritas noſtra, nobis eſt reſtituta. Vbi enim crudelis & omni humanitate exuta Coſacorũ multitudo eum feliciter in Regem electum audiuit, ita eius autoritatem venerata eſt, vt ab omni crudelitate illicò deſtiterit. Neque minùs Tu Illuſtris ac Mfice Dńe lætaris in hoc Principe, qui poſt amiſſum Vladiſlaum, non aliũ, quàm hunc deſideraſti, vtpotè eum, apud quem ille Sułouiorum decus, Chriſtophorus Sułowſki, Palatinus Rauenſis, (Parentem Tuum Clarißimum intelligo) gratiâ multùm valuit, & Tu Illuſtris ac Magnifice Domine, eiuſdem ipſius Regis Clementißimi, quo nunc omnes vnicè delectamur, in longinquas terras exteraſque nationes, ſocius, & Comes fideliſsimus extitiſti. Non quòd inquam vulnus illud, quod ex morte Vladiſlai Reſp. accepit in corde tuo recrudeſcere velim, eam Tibi triſtem materiam offero: ſed quia dignum eſſe iudico, vt immortalis Vladiſlai gloria multorum ſcriptis celebretur. Accipies igitur Illuſtris ac Magnifice Dñe, grato animo iſtud, quod Tibi à me inſignum propenſi in Te animi offertur leuidenſe munuſculum, neq́ magis rem Tibi oblatam, quàm affectum offerentis penſitabis. vale.

Illuſtris ac Magnificæ D. P. *deuotiſſimus*

M. Albertus Nouakowſki.

ORATIO.

GRauis vnicuique mortalium fati ineuitabilis ictus, quem inimica Parca, morte abrepto VLADISLAO IV. Poloniæ & Sueciæ Rege potentiſſimo, Reipublicæ Polonæ inflixit, me quoque qui ſimplici Orationis Stylo, triſtem & omnibus nobis, quaſi fatalem eius ex hac vita deceſſum deplorare contendo, non leuiter perculit, maximoque in luctu conſtituit, Ciues Poloniæ mæſtiſſimi. Mœror enim hic publicus, quem ex immaturo, & omnibus dolendo, Optimi Principis occaſu, Omnes huius Regni florentiſſimi Ordines accipiunt, eò me ducit, atque impellit, vt in hoc luctuoſo & calamitoſo Reipublicæ tempore, quo gubernatore ſuo Optimo deſtituta, omnibus ſuis ornamentis ſpoliata, afflicta vndique, ac penè proſtrata iacet ingemiſcens, meritò lugere, atque in lachrymas bonorum omnium exemplo ſolui effundique debeam. Tantùm ſcilicet poteſt publicus dolor, atque calamitas, vt velut ex condicto omnium animos potenter inuadat, neque inter ſolas publicas Reipublicæ Perſonas valeat conſiſtere, niſi etiam in priuatas aliquomodò deriuetur. Et meritò quidem. Sicut enim in lætis rebus, proſperiſque euentibus Reipublicæ congaudere, ſic ex aduerſo in triſtibus condolere, eamque mœrentē,

vnumquemque bonorum Ciuium imitari decet. Itaque & ego, cui tanquam priuato homini, in vmbratilibus Heliconis Academici vmbris viuere, verſarique licet, in partem iuſti doloris venire debui; nec vllo modo diſſimulare poſſum, quin eo caſu, quo vniuerſos Reipublicæ Ciues grauiſſimè afflictos eſſe video, maximoperè doleam, tamque repentinum à nobis Magni Vladiſlai (heu! nunquam iterum redituri) diſceſſum deplorem, ac inſuper grauem omnibus nobis eius quem amiſimus Regis, mortem denuntiem. Quid enim grauius, vnquam quid luctuoſius, quid acerbius nobis vniuerſis euenire potuit? quàm mors eius Regis, in cuius vita, & fortuna noſtrum omnium ſalus, & integritas erat conſtituta. at verò nunc proh dolor! quanta mala, quanta incommoda, ex eius obitu in Rempublicam dimanârunt, non modó vident, ſed etiám ſentiunt vniuerſi. quæ certè non fierent vnquam, ſi ille nobiſcum vnâ, vitâ ſuperſtes ipſe frueretur. Quapropter, cum ita ſit vt quantùm eius vita commodi, tantùm mors detrimenti ſecùm nobis attulerit, nemini dubium eſt, triſtem eius à nobis receſſum, iure meritò eſſe deplorandum. Sed vt vnicuique res clarior ſit, qualis, & quantus, & quam de Republica benè meritus fuerit is, quem nunc inimicis fatis, nobis inuidentibus amiſſum dolemus, non tàm temeritate quadam inconſideratâ aut audaciâ, quam officio vel potiùs pietate erga Sereniſſimum defunctum adductus ſum, vt tanti Principis eximias dotes, verèque regias ac penè diuinas virtutes, laudibus extollam atque deprædicem. Et quamuis ex ijs quæ dicenda ſunt, multa ſint eiuſmodi,

quæ ful-

quæ fulgore ſuo ita perſtringunt oculos, vt mentis meæ aciem anteuertant, & de ſede victam magnitudine rerum deturbent, quò minus dignè id, quod ſuſcepi perficiam: tamen & temporis ratio, & rei dignitas, & debita in Sereniſſimum Regem defunctum, quæ etiam poſt fata iure ei debetur veneratio, atque pietas, hòc à me exigit, vt ſi minùs dignè & accuratè omnia, at ſaltem aliqua, quæ in laudem Regis iſtius, virtute, factis, famâ inſuper ipsâ, poſt hominum memoriam clariſſimi dici debent, in medium afferam. Itaque in laudes tanti Regis excurſurus, non tàm audax in dicendo, quàm officioſus eſſe cupio: neque nimis curiosè omnes virtutes eius egregias Oratione perſequi volo, ſed breuiter quaſdam attingere, mihi in animo conſtituo. Tanta enim virtutum, laudumque ipſius, tàmque copioſa offert ſe multitudo, vt meritò mihi dicendum ſit:

Quò ferar ignoro copiaque iſta nocet.

Quâ in re non alia arte mihi vtendum eſſe cenſeo, quā eâ quæ frequenter apud pictores obſeruatur, cùm ingens aliqua multitudo hominum, in exigua tabella illis eſt exprimenda. paucorum illi tantùm, cum toto corpore vultus efformant, nonnullorum ora integra, multorum ſumma tantùm capita oſtendunt, totum verò reliquum corpus abſcondunt. Quod quidem non ob aliam faciunt rationem, niſi vt & multitudinem in paruæ tabellæ ſpatio demonſtrent, & tabulam illius multitudinis capacem non eſſe palàm, coram omnibus fateantur: ita me, cui innumerabiles Regis Vladiſlai virtutes, enarratuque difficilia, æternis digniſſima laudibus facta, in anguſtum breuis Oratiunculæ curricu-

lum,

lum, concludenda ſunt, quòd omnia expreſsè poni & ſufficienter explicari non poſſint, aliqua tantùm attingere, nonnulla commemorare, multa ſilentio præterire eſt neceſſe. Dicam igitur de VLADISLAI IV. Regis Potentiſſimi, Inuictiſſimi, Sapientiſſimi, ſingulari eximiaque virtute, eiuſque laudes omni poſteritatis memoriâ digniſſimas hoc præſertim lugubri tempore celebrabo. Quia vero omnes & ſingulas propter eas, quas paulò ante commemoraui rationes. Oratione perſequi non poſſum, magnam illius prudentiam, iuſtitiam, pietatem, ſubmiſsè venerabor: pauca de magnitudine animi, fortitudine, munificentiaque referam, ad extremùm virtutem bellicam, per quam ſplendor eius nominis, apud exteras etiam nationes longè latèque reſplenduit, enarrabo. Sed tamen in his enumerandis ita moderabor dictioni meæ, vt mihi non tàm dicendi copiam, quàm modum in dicendo quærendum putem. præſertim cùm abundè exploratum habeam, in nullo tantam eſſe dicendi vim, tantamque copiam, meritis ac virtutibus Vladiſlai parem, qui tàm copioſi ac multiplicis Argumenti partes omnes dignè pertractare ac perſequi poſſit.

Atque vt ea omittam, quæ alijs ſummæ laudi eſſe ducuntur, Patriæ claritatem, Nobilitatem Generis, Nominis ſplendorem, Formam, Opes, Facultates, & plurima id genus alia, quæ ſunt partim naturæ, partim fortunæ beneficia, illa tantum nequaquam prætermittenda ſunt, quæ ſunt eius propria, ex quibus vberrimum, & cumulatiſſimum laudum ſuarum fructum poteſt reportare: illa verò tanquam aliena, ex quibus vera laus

& gloria,

& gloria, quæri non poteſt relinquenda. Neque enim veram laudem eam eſſe puto, quæ prouenit ex ijs, quæ caſu aut naturâ alicui adueniunt, aut in quibus fortuna ineſt, atque in ea ius, & dominium latè extendit ſuum, ſed eam quæ eſt rectè factorum, præſertim, à recta ratione liberaque voluntate humana prouenientium. Qua in re aſſentitur mihi præſtabilis vir ſapientiæ, grauiſſimuſque, & omni laude cumulatus Seneca, qui quòd in ſublimiori loco aliquis, nobilique genere prognatus ſit, Parentibus, ſi formoſus Naturæ, ſi diues Fortunæ, laudem tribuendam eſſe exiſtimat: ſolam veram, verèque propriam humini laudem, quæ ex bonitate, morumq; probitate naſcitur, relinquit, eiuſq; propriam non alienam eſſe vult. Non igitur ex his, ſed ex ijs, quas iam propoſui virtutibus, Vladiſlaum, Regum Maximum laudandum eſſe exiſtimo, quibus eum ſupra cæteros mortales floruiſſe certum eſt, quarum præſtantiam non modò exequare dicendo, ſed aſſequi cogitando arduum eſt atque difficile. Ac inprimis de eius ſumma in rebus agendis prudentia (quæ prima & potiſſima eaque Regia virtus eſt) dicendum mihi eſſe exiſtimo. Quæ tanti momenti tantique valoris in vnoquoque Principe atque Imperatore eſſe conſueuit, vt etiam hoſtibus Patriæ infenſiſſimis, magnum terrorem non rarò incutiat, & quò minùs finibus Patriæ ſuis incurſionibus noceant, cauet, magnaq; ex parte hoſtem remoratur. Cuius quidem rei claro poteſt eſſe documento acerrimus Romanorum, innato contra illos odio inflammatus Dux Carthaginenſium Annibal, qui non tàm vim Fabij, Dictatoris Romani,

quàm eius prudentiã terrori ſibi fuiſſe palàm eſt profeſſus. Neque verò de eo vana fuit ipſius opinio, qui non armorum vi, ſed cunctatione, quæ eius maximæ prudentiæ certiſſimum erat indicium, tantum Imperatorem, cuius bellica virtus omnibus eſt nota, expugnauit, & debellauit. Eâ virtute hic Princeps glorioſiſſimus, ita clarus extitit, vt illi non humanitùs à natura data, ſed diuinitùs infuſa videretur, ob eamque ſummæ apud omnes eſſet admirationi. Nam quæ prudentiæ, propria attributa ſunt, magiſtram multarum rerum experientiam habere, rebus ac verbis ſolerter, & cum ratione vti, futura proſpicere, iiſdem rectè prouidere, omnia conſilio agere gubernareque. ea omnia tanta in hoc vno viſa ſunt, quanta in reliquis omnibus, quos aut nouimus, aut vidimus non fuerunt. Si enim in eo rerum experientiam ſpectemus, quis obſecro illo rerum experientiâ clarior? quis illuſtrior? quis in ea exercitatior vnquam aut fuit aut eſſe potuit? qui à pueritiæ diſciplina grauibus Reipublicæ negotijs, belliſque ſemper intereſſe ſolebat, vnde maximã multarum rerum experientiam ſibi conquiſiuit. Rebus verò ac verbis, quàm prudenter, quàm ſolerter, quàm parcè, cautèque vtebatur, omnibus quidem, ſed ijs præcipuè, qui erant ei ſemper proximi, ſatis conſtat. Sed fortaſſe quamobrem hoc faciebat quæretis? ſciebat nempè prudentiſſimus Princeps, quantùm interſit ijs, in quorum poteſtate Regna & Imperia ſunt, noſſe tempora, quibus eos loqui, aut tacere oporteat, ne per verba minùs cautè prolata, ſecretum, ſi quod ſeruari oportet, in vulgus exeat, eiuſque diuulgatum ſermonibus, in omnes mun-

nes mundi partes ſpargatur: vnde ſibi aut toti Reipublicæ ingens damnum ſequeretur. Agè veró futurorum & Reipublicæ impendentium periculorum, quàm fuerit prouidens, omnes etiam inimiciſſimos (quorum neminem eum Principem propter ſumma eius in omnes promerita habuiſſe credo) fateri eſſe neceſſe. Ita enim futura proſpiciebat, vt maiore ſtudio, curâ, diligentiâ, proſpicere non poſſet. An non magnum huius rei argumentum eſt Arx Vrbis Cracouiæ? quæ cùm naturâ parùm munita, multis adhuc ad ſui munitionem indigeret, eam ille muro, vallis, foſſiſque non ſine maximo ſumptu circumdedit, non quòd certum aliquod periculum futurum ſperaret, ſed quòd experientiâ varijſque multorum caſibus eruditus, nihil ſub ſole eſſe ſtabile, nec ex omni parte beatum, aliquando eadem poſſe accidere autumabat. Neque hoc ſine graui ratione mihi feciſſe videtur. Sciebat enim ſe noſque omnes in ea tempora incidiſſe, vbi non more Spartanorũ, oppoſitis pectoribus, in plano, cum hoſte, pro libertate Patriæ, pro aris, atque focis, pro coniugibus, atque liberis, marte fortiter eſſet decertandum, ſed à fortiſſimis mœnibus, munitiſſimiſque propugnaculis, arte exſtructis, atque fabricatis, impetui hoſtili reſiſtendum. Stant præterea pro teſtimonio illius prouidæ rerum prudentiæ, duo armamentaria ad portam Caſtrẽſem, eius ſumptu exædificata, quæ ipſe propter tormẽta muralia ad reprimendum arcendumque procùl à mœnibus hoſtem, Vrbemque defendendam aſſeruanda, exſtrui, ne autem proſpectui arcenſi aliquomodo officerent, ad eum, quo ſunt exſtructa modum fabricari cura-

ri curauit. Quæ quidem omnia hoc periculoſo Reipublicæ tempore, quo effrenata rebellium Coſacorum cum maximo ſalutis noſtræ diſcrimine graſſabatur audacia, noſtro vſui vix non ſerueuiſſent, ad remque noſtram valuiſſent, ni Dij boni hoc tantum malum à nobis auertiſſent. an hoc non ipſius ſummæ prouidentiæ documentum eſt? iudicate. Quod autem reliquum Regiæ prudentiæ eſt, rationem in conſilium adhibere, neque quidquam ſine conſilio aggredi, ab eo ne latum quidem (vt dicitur) vnguem aberrare voluit, in quo rectam actionum humanarum regulam excedere, voluntatiſq; directricem vellet inconſultam habere rationem. Nihil enim temerè, nihil inconſideratè, nihil inconſultò aggrediebatur, quod non prius diligenti mẽtis trutina perpenderet. Sic enim ſibi perſuadebat, & ante inceptum conſilio & poſt conſilium maturè facto opus eſſe. Quis igitur erit tàm iniquus rerum æſtimator, qui tantam ei virtutem non tribuat, aut aliquid de ea imminuat? nemo profectò, Auditores, ſed omnes concordi & vnanimi voce hanc virtutem præſtantiſſimã, verèque Regiam in eo laudabunt, prædicabunt, admirabuntur. Sed quoniam parum eſt in Rege laudari prudentiam, niſi adſit Princeps, & Regina virtutum omnium, (quæ Regibus alijſque in Republica Principibus viris, ſupra cæteros mortales in excelſo maieſtatis ſuæ ſolio, ſublimique dignitatis gradu conſtitutis, maximæ ſolet eſſe commendationi) iuſtitia, non alienum à re mihi viſum eſt, de Vladiſlai Regis, omnibus ſatis cognita iuſtitiæ virtute, aliquid commemorare, qua in re nemini certè dubium eſt, quin eâ idemipſe

Rex

Rex multùm ſit commendabilis. Ego enim ſic exiſtimo Iuſtum Regem, Principem Imperatorem, aut quemuis alium gregis ſibi commiſſi paſtorem, atque Rectorem non alium dici debere, quàm eum, qui nemini nocet, neminem eorum, qui ſuæ poteſtati, aut regimini ſubiecti, traditique ſunt, eo quòd poſſit opprimit, ſed vnicuique ius ſuum, quodque ei iuſtè iureque debetur, tribuit, ſemperque tribuendum putat. Nequaquam enim iuſtus ille dici meruit, qui non pro ratione, atque iuſtitia, ſed pro libidine res gerir (hoc enim faciunt ij qui Tyranni potius, quam domini eſſe didicerunt) neque js, qui nomen virtutis, & iuſtitiæ ſibi vſurpat, quid autem ipſa virtus, iuſtitiaque ſit ignorat: ſed js iuſti nomen iure ſibi vendicat, qui & in quo conſiſtat iuſtitia optimè nouit, & neminem afficit iniuriâ, & ſecundùm iuſtitiam operatur: nullâ perſonæ, nullâ amicitiæ, nullâ priuati alicuius reſpectus, ſed ſolius æquitatis habitâ ratione. At hæc quanta in noſtro Vladiſlao fuerit conſiderate. Non ille ſecutus eſt eos vnquam, apud quos ſtat pro ratione voluntas, ſed vnumquemque iure ſuo, priuilegijs immunitatibus, libertatibuſque ſine vlla offenſione gaudere permittebat, eos præſertim, qui ijs modeſtè, non inſolenter, & licentiosè vterentur, non abuterentur. Quod quidem intellectum mihi eſt in multis, ſed maximè in eo ipſo, cùm ſub eo Rege, in cauſa Academiæ noſtræ Cracouienſis, de Priuilegijs, & immunitatibus eiuſdem, deq; iure docendi, diu in varijs maximèq; diuerſis, ſeculari ſcilicet & Spirituali iudicijs agitata, diſceptaretur. In qua ille, ita ſe iuſtum, cauſæq; iuſtiori fauentem præſtitit Iu-

 dicem,

dicē, vt nihil fuerit, quòd cōtra se esse factum ipsa queri posset iustitia. cùm ab eius iudicio, sicut nostri sine lucro, suam enim rem domum portarunt: ita illi cum quibus agebatur, sine damno; nihil enim perdiderunt, recesserunt. Quod ego, quia non nisi ingrato possem præterire silentio, idcircò hanc laudandi Sapientissimi, Iustissimi, simul ac Inuictissimi Principis, nactus occasionem, id ipsum commemorandum putaui.

Iam verò quâ fuit ille in Deum pietate, quâue in promouenda verâ Christi Religione, cultuque diuino constantiâ, quo in Fidem Orthodoxam Catholicam zelo, vel ex hoc ipso satis luculenter intelligi potest, quòd omnes ad veram Christi fidem religionemque non solùm inuitare, sed etiam congregare voluit. At hoc quomodo dicetis? non multis hâc in re laborandum esse censeo, cum ita vnicuique satis sit euidens, atque manifesta, vt non multâ egeat probatione. ad cuius fidem faciendam, vnicum quod commemorare volo, sufficere puto argumentum. Reuocate quæso vobis in memoriam, illud non ita pridem elapsum tempus, quo ille omnem animum ad id applicauerat, vt omnes ab errore manifesto Hæreseos ad veræ fidei Catholicæ agnitionem, sine qua nullus saluus esse potest, adduceret. Quid sibi quæso voluit illud Charitatiuum Thorunense, cum dissidentibus, atque à vera fide Catholica alienis colloquium, quod ille Serenissimæ Suæ Maiestatis authoritate decreuerat, conuocatis præsertim, quos eo tempore conquirere colligereque potuit, morum sanctissimorum probitate, vitæ integritate, insuper summâ eruditione clarissimis viris, qui cum ijs de vera fide

ra fide,religioneque,quæ non eſt alia, niſi Catholica ſe-
riò loquerentur. Voluit quippè Rex meritò dicendus
Catholiciſſimus, vt illi tandem aliquãdo pijs & ſapien-
tiſſimis eorum adducti rationibus reſipiſcerent, erro-
rẽ ſuum,quo ſunt illaqueati,cognoſcerent,rectam verò
viam, quæ ad cæleſtem illam ducit Regionem; ingre-
derentur feliciter, atque eorum veſtigia, qui benè am-
bulârunt (aſſumptâ fide Catholicâ, repudiatis verò
ſuæ peruerſiſſimæ fidei, quâ orbem inficiunt fœdiſſi-
mis erroribus) arriperent, & ſequerentur. Quod
quidem, vt eò feliciùs ſuccederet, cùm ipſe ei collo-
quio, cuius author fuerat, intereſſe non poſſet; ſeu
quòd id Regiæ ſuæ Maieſtatis dignitas non pateretur,
in tàm graui negotio, vſus eſt fide & operâ Illuſtriſſimi
Dñi Georgij de Tęczyn Oſſolinſki, S. R. I. Principis
Excellentiſſimi, Supremi Regni Poloniæ Cancellarij,
viri ſummâ eruditione, omnibus commendantiſſimi,
magnâ Iudicij Ingenijque vi laudatiſſimi, qui Suæ Se-
reniſſimæ Maieſtatis abſentiam,ſuâ ſuppleret præſentiâ
ibique locum eius teneret: atque illius Perſonam in il-
lo graui actu repræſentaret. Accedit & illud ad eius
ſummam in Deum pietatem, quòd impiorum Hære-
ticorum,impias quoq; congregationes ſuſtulerit, illiſq;
peruerſæ eorũ religionis exercitio interdixerit. Ex quo
profectò quiſq; intelligere poteſt,quanta in illo fuerit in
Deum pietas,cùm in illius religionẽ tanta fuerit animi
propenſio. Sed quoniam de eius in Deum pietate ſatis
mihi dixiſſe videor, nunc de magnitudine animi, For-
tindine, Liberalitate atque munificentia, pauca refe-
ram, quæ qualia ſint conſiderate. Atque inprimis ani-
mi eius

mi eius magnitudini, quæ par Oratio poteſt inueniri? quid eſt, quod quiſquam, aut tanto Principe dignum, aut vobis nouum, aut cuiquam inauditum poſſit afferre? incredibile dictu eſt Auditores, quantùm eâ valuit, quâque ita præſtabat alijs, vt ei non ab arte data, ſed cum eo nata eſſe videretur. Nihil enim vnquam leue, nihil humile, nihil abiectum, ſed ſemper aliquid excelſum, & animo ſuo Heroico dignum cogitabat; nihil agebat vnquam, in quo non eius magnitudinis animi, ſingularis virtus eluceret. Teſtantur idipſum ſua, quæ in vita geſſerat, penè innumera præclarè facta, quæ illius animum Heroicum, vanis cogitationibus, aut leuibus occupationibus, deditum eſſe nequaquàm permiſerunt. At de fortitudine, quæ etiam Regia virtus eſt quid referam; ſtupet animus Auditores, mirabilē hanc in eo virtutem, quâ cæteris excellere viſus eſt admirando. Quem enim virum fortem dicendum putatis? non alium intelligo, quàm qui vtriuſque fortunæ vim, prudenter tolerat, in proſperis rebus non inſoleſcit, in aduerſis animo non cadit, ſed aduerſus omnia pericula, varioſque inſtabilis, & lubricæ fortunæ caſus, animum impauidum gerit, nullis eius minis, nullis procellis, nullis tempeſtatibus in hanc & in illam partem flectitur, ſed fortiter & animosè eius impetum ſuſtinet, imò mortis ipſius vim non exhorreſcit, eamque quouis in loco, ſine vlla animi trepidatione expectat, ad extremum qui inferioribus & impotentioribus facilè ignoſcit, potentioribus firmiter reſiſtit. Neque enim fortis vllo modo appellari poteſt is, qui vires ſuas in eos qui ſibi reſiſtere non poſſunt, exerit potentioribus verò, aut

rò,aut

rò, aut æqualibus facilè ipſe cedit. Non fecit hoc vnquam Vladiſlaus, qui virtutem ſuam non in eis, quos facilè poſſet vincere exercuit, ſed eam in maximis periculis varioque rerum diſcrimine, ſicut aurum in igne probatam eſſe voluit, ſenſit enim in diſcrimine debere apparere qui vir. Itaque ad magna natus eius animus, non cedebat malis, ſed eis expoliebatur, eòque magis inſtantibus reſiſtebat, quò grauiùs premerent, ad palmæ arboris ſimilitudinem, quæ quò grauiore pondere ſuis ramis impoſito ad terram premitur, eò magis ſurſum ſe erigit; ita Vladiſlaus inter cæteras virtutes ſuas admirandas, hanc quoque mirabilem habuit, maiorem ſemper in aduerſis, quàm in proſperis rebus animum ſuum eluxiſſe. Agè vero mortem ipſam, quæ omnium in vita terribilium terribiliſſima eſt, ita contemnebat, vt eam nequaquam ſibi timendam eſſe, aut fugiendam putaret. Sciebat enim viro forti turpem eſſe fugam mortis, honeſtæ præſertim, & omni morte turpiorem, illiſque ſolis terribilem, quorum cum vitâ omnia extinguuntur, non ijs quorum laus emori non poteſt. Quia verò virtus fortitudinis non in eo ſolo mihi conſiſtere videtur, omnem aduerſæ fortunæ impetum animosè & ſapienter ſuſtinere, ſed etiam in proſpera animum non pati inſolentem: hanc quoque ſingularem virtutem in Vladiſlao nobis liceat admirari. Magna profectò eſt laus, virtuſque ſummâ commendatione digna aduerſis inſtantis fortunæ caſibus non commoueri, ſed longè præſtantiſſima in rebus proſperis animo non efferri, cùm difficilior multò ſit proſperæ, quàm aduerſæ fortunæ victoria; quòd hæc apertè in

ani-

animum hominum irruat, illa blandiendo occultè capiat. Sicut enim hostem aduersum opprimere, strenuo homini haud difficile est, occulta pericula euitare, nulli sit in promptu: sic aduersæ fortunæ, quæ apertè in aliquem irruit ac oppugnat vehementissimè, faciliùs est resistere, quàm arridentis, quæ instar cuiusdam latentis, interni, ac domestici hostis est, blanditijs non capi. Idcircò sapientissimus Seneca à recto iudicio minimè mihi aberrasse videtur, qui in Castris fortunæ, quàm in delicijs esse maluit, quod ibi virtutis exercitium, hic vitiorum occasionem amplissimam se inuenturum sperabat. Sciuit præterea vir propter suam virtutem & sapientiam omni dignus præconio, nihil esse magis contrarium rationi atque constantiæ, quàm fortunam, quæ bonam mentem aufert, & animum in aduersis rebus stare solitum, sæpenumerò insanum reddit. Quod si exemplis comprobare licet. Quid obsecro Xerxem Persarum Regem, innumerabilis exercitus Ducem atque Imperatorem, in tantam adduxit insaniam, vt prosperæ Fortunæ impatiens Deorum more, ventis etiam ac fluminibus regnare, atque imperare voluerit? non aliud profectò quàm Fortunæ prosperæ intolerantia, quæ tantùm in illo infatuando potuit; quantùm aduersæ potuisset nunquam. Sed nec Alexander Magnus eius culpâ vacabat vitij, qui secundis rebus mersus, quarum nemo fuit intolerantior, eò deuenit insaniæ, vt ex habitu nouæ Fortunæ, quam bello feliciter gesto acquisiuerat, Dario magis similis, quàm Alexandro esse cæperit, humique iacentium, atque Deum se vocare non erubescentium, desideratas adulationes

lationes (quæ Regibus omninò pestiferæ sunt) gratis auribus excipere non dubitârit, fæda insuper supplicia, & Rege minimè digna, cædesque amicorum exercuerit. Tanta est vis prosperæ Fortunæ, vt eam difficilius sit, quam aduersam superare. & certè plures illustres viros accepimus ex aduersa, quam ex prospera Fortuna triumphasse. Solus cum paucis admodùm Vladislaus talis est repertus, qui vtramque Fortunam animo æquabili ferebat semper, eâque sic vtebatur quasi non ille sub Fortunæ, sed sub eius Fortuna potestate esset. Iam verò quantâ fuerit liberalitate, qnantâ munificentia considerate. Vnde sibi tantam nominis celebritatem, tamque gratam sui apud omnes recordationem, laudemque omnis obliuionis expertem comparauit? non alunde profectò, quàm ex liberalitate. Hæc enim inter alias, Regum singularis virtus est; quæ homines Diuinos reddere, nomenque eorum celebre ad seram vsque posteritatem transmittere solet; neque vlla res ad gloriam homini comparandam accommodatior esse potest, quàm sit munificentia atque liberalitas. Hæc Cæsarem Iulium illustrem, atque immortalem fecit. Hæc Pompeij famam toto orbe notissimam extulit. Hæc Alexandrum Macedonem, hæc Marcum Antonium Oratorem. Hæc denique plurimos alios immortalitate donauit. Sed ne in eis percensendis, qui hâc virtute clari extiterunt, immorer diutiùs, vanaque loqui videar, ad Serenissimum nostrum Vladislaum redeo, qui eâ virtute, tantùm cæteros prætergressus est, vt ij ad quos plurima beneficia detulerat, priùs defessi sint, eius liberalitatem laudando, quàm ille omnibus

benefaciendo. An enim quiſpiam munificentior, liberaliorque hoc Principe extitit vnquam? qui nullam benefaciendi occaſionem prætermiſit, quâ cuipiam aliquid boni à ſe fieri, etiam non rogatus neglexiſſet. Exiſtimabat enim, nihil ſibi eſſe glorioſius quàm benefacere, & nihil magis Regio animo dignum quàm liberalitem. In quo ſingularem animi magnitudinem virtutemque Heroicam declaraſſe mihi videtur, quòd ditare alios, quàm diteſcere maluerit. Cum multò ſatiùs ſit, & glorioſius beneficiorum, quàm trophæorum memoriam Regi relinquere. Audiſtis Auditores ſatis euidenter (vt opinor) maximas & tanto Rege dignas virtutes; perſpexiſtis eximias dotes, animumque illius ad omnia præclara facta promptiſſimum cognouiſtis. nunc etiam virtutem bellicam, quantùmque illâ valuerit, diligenter perpendite. An enim quenquam hâc virtute Imperatoriâ, quâ plurimi ſuum nomen celebre apud omnes reddiderunt; plus vnquam valere potuiſſe, quàm Vladiſlaum arbitramini? qui ad Martem, mirabilem quendam animum habens à natura ſibi inditum, vix primam ætatem adoleſcentiæ attigerat, magnis rebus gerendis animum præparabat: ita vt nullum ei ſuauius eſſet otium, quàm in ârte militari, vbi caſtra ponenda, quomodo, aut ex quâ parte hoſtis inuadendus, quâ arte vincendus ſit inſtitui, & exerceri. Qua in re ita ſeſe exercuerat, vt prius hoſtes vincere, quàm cum illis prælium cōmittere didicerit. Teſtis iſtius rei eſt Pruſſia, per vim iure iniquiſſimo à Suecis alienorum bonorum nimium appetentibus occupata, diuque ab illis crudeliſſimè vexata,

xata,

xata, quæ Vlàdiſlao ad eam ex hoſtium manibus vindicandam venienti, ſine profuſione ſanguinis, atque ſine vllo prælio commiſſo, ne vnâ quidem haſtâ confractâ vltrò ab ijs, qui eam nullo niſi belli iure, (quod ſæpenumerò iniquum eſt) poſſidebant, fuit reddita atque reſtituta. Senſit præterea & expertus eſt bellicam Vladiſlai virtutem, immaniſſimus Turcarum Imperator, qui inſatiabili regnandi cupiditate accenſus, raptor & prædo Regnorum nefandiſſimus, Abazy Baſſam, Ducem ſui exercitus, numeroſis militum inſtructum copijs, vt Vladiſlaum in Moſchouia bello grauiſſimo occupatum, à tanto negotio abſtraheret, ad nos in eius abſentiâ infeſtandos tranſmiſit, mandauitque, vt felicis quondam Ruſſiæ, nunc afflictæ, Podoliæq; ei regioni vicinæ, agros popularetur, vicos exureret, vaſtaret Vrbes, noſtros miſeros Ciues in ſeruitutem raperet, alios trucidaret, & ſi per Fortunam (quæ in bello plurimū valet) licuiſſet, Regnum etiam ipſum Poloniæ occuparet. Verum eâ ſpe fruſtratus, cùm nihil inde lucri, cuius animo id fecerat, acciperet, turpiter à bello deſiſtere, ſuoque contentus eſſe debuit. Hic enim Dux, qui iuſſu ſui Imperatoris huc prædandi animo venerat, vix Vladiſlaum ex Moſchouiâ re ibi felicitèr geſtâ cum magnâ victoria redeuntem audiuit, ſubitò ita perterritus eſt, vt fædus cum Gente Polona inire curaret, atq; ſic rebus non perfectis, ſine triumpho, quem parabat ſi viciſſet, ſine præda, quam magnam ſe accepturum ſperabat, ſine ſuperbo illo, cum quo venerat animo, ſuam ferens confuſionem, à noſtris finibus recedere, eòque vnde venerat, abire ſit coactus. Teſtis ad extremum eſt ipſa

est ipsa Moschouia, studijs asperrima belli, mirâ quadam eius virtute militari superata, quæ quantò fuit armis instructior, tantò formidolosior, & ad vincendum difficilior: eam tamen ille primo ferè aditu ita edomuit, vt quæ ante Polonis vltrò bellum intentauerat, mox pacem, quam paulò ante oderat, supplex peteret, vtque sibi à Clementissimo Vladislao ignosceretur postularet, Fuit igitur Vladislaus bellicosissimus, optimèque in arte militari exercitatus, qui tanta, tamque grauia bella in ipso ad Regni gubernacula ingressu magnâ dexteritate confecit, tot hostes superbos ac formidabiles bello superauit, tot ac tantas victorias, ex immanissimis, Patriæque nostræ infensissimis hostibus, felicissimè reportauit. Hæc verò quâ celeritate quâue felicitate fecerit, etiam me tacente, vel ex his ipsis, quas adduxi victorijs, facile est vnicuique iudicare. Quis sperasset aliquando illud bellum Moschouiticum tàm ingens ab aliquo celeriùs, quàm confectum est, potuisse confici? aut Sehinum illum, immensi exercitus Moschouitici Ducem, qui idem bellum (cuius ipse magnâ ex parte author extiterat) septennio apparabat, aliquot mensium spatio superari? js tamen eâ celeritate à Vladislao ita superatus est, vt illi in tàm breui spatio nullus ad se redeundi locus relinqueretur, meritòque illud victor Vladislaus, quod à Cæsare in Pontico Triumpho, dictum perhibetur, ab illâ pugna feliciter redeunte, veni, vidi, vici, de se dicere potuisset. Non piget hic commemorare, quantâ in bellis fuerit laborum tolerantiâ, quantâque constantiâ, qui non prius ab hostibus patriam infestantibus persequendis cessauerit, priusquàm

omnes debellauerit, & Patriam pacatam reddiderit. Non fuit veluti venti, aut ij qui ſtadia currere ſolēt, qui à ſui curſus initio, celeri nimis & impetuoſo feruntur impetu, in medio verò curſu fracti debilitatiq; langueſcunt, in fine deficiunt: ſed ſemper ſtrenuus, quouis tempore conſilio & Marte pollens Patriam, cui natum ſe eſſe ſcierat, defendere voluit, nullumque tàm ingens erat periculum, quod ille pro Patria ſubire aliquando recuſaret. Felicitate quoque tantâ fuerat, vt eum Fortuna, non tàm fouiſſe, quàm ei ſeruiuiſſe videretur. Et quis iam erit tàm rudis aut ſimplex homo, qui iſta omnia quæ ad virtutem bellicam ſpectant in Vladiſlao nō agnoſcat? qui ex tot tantiſque victorijs, tantam ſibi apud omnes exteras nationes authoritatem, vt nomen ipſum Vladiſlai hoſtibus eſſet terribile, comparauit.

Talem igitur ac tantum Regem, tot tantiſque rebus geſtis, ac virtutibus illuſtrem, virum pacis belliqúe artibus, & inprimis clementiâ longè clariſſimum amiſimus, nobis omnibus iuremeritò deplorandum. Orbati enim ſumus optimo Principe; quid dico Principe, dicam meliùs Parente Patriæ, pro cuius ſalute atque integritate, non fuit illi graue omnes labores perferre, omnes moleſtias ſubire, omnia pericula, quæcunque illi accidere potuerunt ſuſtinere. Eo inquam Rege, bono, prudente, ſapiente, clemente, iuſto, de Patria, & Eccleſia optimè merito ſumus deſtituti; quem propter virtutes eius egregias, quod ſe ita in terris ſtrenuè optimeque gereret cælum ipſum, ad quod eſt tranſlatus nobis inuidere videbatur. Felicem quidem illum, quòd è tenebris his in lucem, & ex vinculis corporis in

veram

veram libertatem, regionemque illam cæleſtem, vbi piorum animæ ſempiterno æuo perfruuntur feliciter, ſit perductus: at nos infelices, qui cum illo amiſſo omnem noſtram felicitatem, quam viuente illo habuimus, & pacem illam, quâ feliciter regnante illo, diu cum exterorum inuidia fruebamur, eheu dolendum! amiſimus. Tanta enim mala, tamque crudelia tempora eius mortem ſubſecuta ſunt, quæ maxima damna per rebelles Coſacos, immanitate ipſas Tigrides, & quaſuis etiam ferociſſimas beſtias ſuperantes, Reipub. intulerunt. Videre nunc licet afflictæ Ruſſiæ, vicos exuſtos eſſe complures, multa Oppidorum proiecta iacere cadauera, vaſtatas Vrbes, tot Ciues innocentiſſimè trucidatos, totam deniq; Ruſſiam, vbertate agrorum, & magnitudine paſtionis abundantem, lacte & melle affluentem in hoſtium poteſtate eſſe. Quos quidem funeſtos omnes & Reipub. horribiles, miſeroſque caſus nunquam videremus, ſi inuictum & omnibus hoſtibus Reip. formidabilem Vladiſlaum haberemus. Non immanium Scytharum terror nos perterruiſſet, non Coſacus perfidus, ad opprimendam Patriam, ad depopulandum finitimorum agros, ad vaſtandas Vrbes, & Oppida, ad expilanda Deo dicata & conſecrata templa, nō ad conculcanda pedibus ſuis ſceleratiſſimis, (quod maximè dolendum eſt) Sanctiſſima Sacramenta, non inſuper ad crudeliſſimè mactandos Ciues, aliaque innumera patranda ſcelera tantum animi habuiſſet. Sed iam orandi finem facio. Receſſit igitur à nobis Magnus Vladiſlaus, Parens Patriæ, Hoſtium terror, Orbis delicium, Lumen ac ſplendor Polonorum. Rex

Pruden-

Prudentiſſimus, Inuictiſſimus, qui numeroſis hoſtium neſcius aliquandò cedere phalangibus, ſolius mortis vi ſuccubuit, cuius impetum, nemo ſuſtinere, nemo furori eius reſiſtere, nemo ictum euitare poteſt. Hic à vobis ô Proceres atque Ciues Poloniæ, iam in aliam regionem tranſlatus, nihil vult, nihil optat amplius, niſi vt eum affectum, quo viuentem hic proſecuti eſtis erga defunctum in pijs ad Deum Opt. Max. ſupplicationibus pro anima ipſius fundendis libenter teſtimini. DIXI.